



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Iacobi Bidermani E Soc. Iesv Ignativs Sive De Vita Et
Gloria S. Ignatii Loiolæ Soc. Iesv Conditoris Libri Tres**

Bidermann, Jakob

Antuerpiae, 1635

Aduentus Venetias. Cap. XIII.

urn:nbn:de:bvb:12-bsb10788217-5

raculi percrebuerunt, ut certatim multi in vestem IGNATII inuadere, tactuque religioso, ceu Sanctum, colere laborarint. Discessit inde nullo nec Socio nec viatico subleuatus; & mendicitate, quam numquam deserat, velut à longis delicijs reuocatâ, Pompeiopolim peruenit: inde Almazanum, post Seguntum Toletumque petijt, vbi data Sociorum mandata exsequeretur. Conscenso prope Valentiam nauigio, in Italiam intendit: ac multis iterum tempestatibus iactatus, postremò ad condictum, Venetias appellitur, ibi Socios præstolaturus.

IGNATIO quid Venetijs euenerit.

C A P. X I I I.

76. **V**ERVM dudum apud inferos pro hoste habitus IGNATIVS, eorum inuidiâ, res Venetijs sanè inquietas nanciscitur. Nam odio agitati quidam, luculentis illum calumnijs de integro incessunt. Profugum ex Hispanijs

nijs cessisse, & deserto utique vadi-
monio pœnas mali facinoris me-
tuisse; certè statuatam eius solemnem
cum deuotione combustam, succi-
daneam pro ipso hostiam arsisse:
Quæque alia hoc genus animus
malus, & pessimi semper consilij
auctor, mendaci linguâ effutiebatur.
Sed ea ex vano hausta, eodem re-
diere; postquam eius integritas gra-
uissimo teste Hieronymo Verulo
defensa est: quem virum ex Rosa-
no Antistite, Pontificisque Lega-
to, postea Purpuratorum Patrum
Collegium cooptauit. Interim do-
nec Socij eodem cogentur, in-
stitit IGNATIUS viros sibi doctos
piosque adiungere, atque primarijs
eius Reipub. Senatoribus se insi-
nuare, quibus ad virtutem semina
relinqueret. Eo effecit, vt breuî
apud plerosque omnes gratissimi
nominis memoriam cõsequeretur.

77. Annus iam septimus & tri-
gesimus ultra millesimum quin-
gentesimum cœperat, cum ante
VI. Idus Ianuar. expectati ad
IGNA-

IGNATIVM Socij pervenere: in-
 comodo anni tempore vfi, & si-
 mul viæ malignitate, simul lon-
 ginitate exerciti. Ad primum
 adfectum omnes in complexus
 mutuos iere, suaviffimo fenfu deli-
 buti: ac mox in ædes hospitales
 alij aliàs dimiffi, fuis quifque in
 pauperes obfequijs experiundi:
 tantisper, dum dies Romanæ pro-
 fectioni conftitueretur. Ea vbi ap-
 petijt, vnà omnes accingere fele,
 cum extremâ rurfus inopiâ con-
 grefluri. Nam pedestris itineris
 difficultas, tum quærendâ ftipe,
 tum perpetuo ieiunio (vernum id
 erat) haud modicè crefcebat. Ro-
 mæ apud Pontificem Paulum III.
 oratâ in Palæftinam transmittendi
 copiâ, eaque datâ, cum lætis omi-
 nibus digrefli, denuò inter vlti-
 mam egeftatem Venetias reuer-
 tuntur, vbi eos IGNATIVS oppe-
 riatur. Hic ad natalem B. Bapti-
 ftæ facerdotes facti, qui nondum
 fuerant; & corporis prius animique
 caftimoniam, & vitæ paupertatem,
 votis

votis apud Legatum Pontificium editis, sunt professi.

78. Sed quòd in Palæstinam id temporis, nulla navis soluebat, coguntur anni spatium morari, prout sacramento inter se receperant: illud ne qua desidia otiove contere-
rent, per oppida Prouinciæ Vene-
tæ in statiuâ discessere. Ac ceteris,
quò quemque visum est, dimissis,
IGNATIVS cum Fabio & Laine
Vicentiam optauit. Ibi dies 40. in
suburbano incoluit, repertâ adiculâ
malè sartâ, vndis ventisque obno-
xiâ, & desertâ prorsus ac vastâ,
quam denique veterem capulum
dicere, quàm domum, malles. In
ijs postea vestigijs Capuccini Pa-
tres suum sibi cœnobium condi-
dere. Ceterùm sub illo tunc domi-
cilio noctes suas degebant, solo pa-
leis constrato. Lautilias habuerunt
panem mucidum ac durum; cuius
frustilla ægrè collecta, aquâ prius
erant aliquamdiu domanda, quàm
facile mandi possent. Pòst ergo
quàm nulla se nauigandi spes
osten-

ostenderat, abiecto demum expeditionis transmarinæ consilio, ad Italiae frequentissimas quasque Academias conuertuntur. In eâ fortitione obuencit IGNATIO, cum duobus, quos dixi, Socijs, Roma prouincia. Et nimirum huc ducebat DEVS, vbi opportunè nascentis Societatis cunabula ponerentur. Neque enim fortuitum fuit, quòd ex annis haud minus triginta tribus, illo tunc vno, nulla decerneretur in Palæstinam nauigatio, quo illi excedere terrâ Italiâ cogitabât.

IGNATII *iter Romam.*

CAP. XIV.

79. **A**T IGNATIVS Sacerdos inauguratus, dum diu molitur, qui rectissimè ad primam litationem sese appararet, anni spatium consumit, id intereà vnum assiduè precatus, vt summæ Virginis patrocinio iuuaretur: illam caelestioris vitæ ianuam esse, illam inter DEVM hominesque sequestram.